



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1589. usque ad annum 1595 - Una Cum Criticis R.P.  
Honorati A S. Maria Carmel. Discalc. Observationibus In Historiam  
Ecclesiasticam Abbatis Fleurii

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118669**

§. 108. Secreti tradendæ Urbis Parisinæ articuli.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67252)

Sæcul. XVI.  
A. C. 1594.

Gubernatorem utpote sibi suspectum officio suo exuerat, eidem Brissacum Comitem subrogabat, cumque se ad alias expeditiones pro fœderatorum salute magis necessarium fore crederet, Parisina urbe excessit, illius curam novo huic Gubernatori impense commendans. Verum eo absente Brissacus, cum Maduani Ducis factio indies decresceret, atque in Regis obsequio majus commodum, securitatemque reponi cernebat, clam ex primoribus civibus plures in urbe agentes sibi devinxit, illisque persuasit, ut sibi ad portas Henrico IV. aperiendas suam operam jungerent. Re ita disposita Brissacus ad Regem, qui tum Sylvanecti morabatur, Franciscum Espinacium ablegat, cujus opera Rex in sequentes articulos consenserat.

§. CVIII.

*Secreti tradendæ Urbis Parisinæ articuli.*

I. Parisiis, necnon in ejus suburbiis, aliisque in locis intra decem leucarum ambitum contentis solam religionem Catholicam profitendi libertas juxta Henrici III. defuncti Regis decreta concedatur. II. Rex omnium præteritorum veniam cunctis indulgeat, exceptis duntaxat iis, qui vel in ejus, vel Prædecessoris sui vitam insidias struxerunt.

Avila 3. 14.

*Hist. Eccles. Tom. LI. Dd*

Sæcul. XVI.  
A.C. 1594

xerunt. III. Civibus, atque incolis salva, & integra permaneant eorum bona, vita, & privilegia. IV. Omnes illi, qui a Maduano Duce quibusdam officiis, dignitatibus, vel beneficiis aucti fuerunt, ea retinere valeant, nisi saltem a Rege ad alia officia adhibeantur. V. Omnibus illis, qui haud ultra in urbe permanere voluerint, ad alia loca emigrare, suaque bona secum deferre integrum sit. VI. Legatus, & Pelleveus Cardinalis æque, ac ceteri Præfules, eorumque Domestici unacum sua suppellectili ex urbe excedendi, vel si maluerint, ibidem permanendi plenam habeant libertatem. VII. Pariter etiam Hispaniæ Ministris impune urbem relinquere liceat, eisque publicæ securitatis literæ, ac comæatus diplomata consignentur. IX. Iphis quoque integrum sit, secum extera, & Gallica præsidia educere, ea lege, ut illis militares honores omnino deferantur. Porro postremo hoc articulo Brissacus Comes privato suo commodo prospiciebat.

§. CIX.

*Mandata ad ingressum Regi aperientem a Brissaco data*

*Thu. . 109.* **R**ege cunctis hisce articulis annuente  
*Avil. l. c.* Brissacus ad tubæ sonitum proclamari